

## Momentum VII.

**M**inime etiam nuncius mittendus doctrinae coelesti, aut ejus defensioni, sed Deo, Ecclesiae, veritati & paci omnes vires tamdiu impendenda, quamdiu Ecclesia militans in his terris, pacem & triumphum in coelis expectat.

'Erg.

§. I.

**A**llocutoris verba sunt, quibus hoc argumentum controversum de Persona Christi concludit, & paci sacrificandum suadet: *Eja nuntium vel tandem bisce omnibus mittamus, eaque Deo, Ecclesiae, veritati & paci vel tandem consecremus!* Votum & excitationem ad pacem non increpamus: Cujuslibet Christiani & Theologi est τὸ εἰηνέυειν μετὰ πάντων, Rom. XII, 18. verum addit cautelas binas Apostolus, alteram τὸ ἐξ υμῶν, quantum ex vobis sive in vobis situm est, seu quantum in vestra potestate repositum est: alteram εἰ δυνατὸν, si fieri possit, & res ipsa permiserit. Qui enim depositarius est, & bona habet dispensanda, potestatem neutiquam habet, de illis cum adversariis disponendi & pacificandi, sed potius tuendi & defendendi officium ipso incumbit. Ad καλὴν παρακαταθήκην divinam requirit Apostolus τὸ Φυλάσσειν custodire, pertinet vero ad illam non saltem Articulus fidei fundamentalis primarius constitutivus, sed etiam universa ὑποτύπωσις ὕγιαινόντων λόγων, 2. Tim. I. 14. forma salubrium verborum, reposita in Articulis etiam fundamentalibus primariis antecedentibus & consequentibus, nec non secundariis. Imo etiam in non-fundamentalibus analogia fidei custodienda venit, & probe attendendum, ne alicubi impingatur. Ut ceterum ad pacem extentur nostrates, opus nunc demum non habent, ubi per tot *Colloquia & Collationes* scriptionesque comprobatum est, nihil perinde anxie desiderare nostrates, quam ut Reformati, & quotquot a veritate coelesti deviarunt, agnoscant & profiteantur eam sincere. Non enim exprimi

H 3

potest,